



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Cur Christus instituit corpus suum manducare, & sanguinem bibere. Ti. 88

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Nam dicit Ioan. 6. in me manet, & ego &c. Rom. 8. Si Deus pro nobis, &c. Et 1. Ioann. 4. Maior est Deus in nobis &c. Secundus fructus, participatio omnium bonorum Christi, qui sicut legitimè cōmunicat temporalia bona, sic Christus iustitia fit tua, 2. Corin. 5. vt nos iustitia Dei efficeremur in illo. Roman. 8. si filij, ergo & hæredes. Tertius fructus, participatio omnium bonorum Ecclesiæ. Nam qui rectè & deuotè in charitate communicant, illorum bona opera sunt communia, sicut farina ex multis granis fit vnus panis, 1. Corin. 10. & fit, sicut scriptura dicit, frater adiuuans fratrem, &c. ciuitas firma, &c. Hi sunt boni fructus. Secunda causa, vt Christus viuat in nobis Ioann. 6. & cōseruet vitam spiritualem, id est, fidem, charitatem, timorem, &c. ne moriamur in peccatis, & perdamus iterum vitam animæ, vt carnalis vita mortificetur.

CVR CHRISTVS INSTITVIT

corpus suum manducare & sanguinem bibere.

TITVLVS LXXXVIII.

DEVS, vt inquit Propheta Psal. 110. memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se &c. Sic Iudæis præcepit Deus annuè manducare agnum paschalem in memoriam liberationis ex Aegypto de manu Pharaonis, Exod. 12 sic duodecim lapides in Iordane in memoriam, quòd Iordanis cecisset, Iosua 3. Sic in massam redacta sunt thuribula Chore & Abiron, in memoriam schismatis & illius punitionis, Nume. 16. Sic magnorum operum suorum vult Deus obliuiscamur.

Q9 4 Prima

Prima ergo causa, quòd Christus instituit corpus suum à fidelibus manducari, est memoria passionis suæ, sicut ipsemet dicit Luc. 22. Hoc facite in memoriam passionis meæ, id est, quoties manducatis, cogitate de causa passionis meæ, nempe quòd hæc sit, quæ vos redimerem à peccato, & saluarem. Romanor. Mortuus est pro peccatis nostris. Non igitur simpliciter memoria passionis habenda est, sed causa pensanda est, cur facta sit, vt sic gratiarum actio sequatur pro tali beneficio. Anima igitur dum esurit, id est, dum angustiatur de peccatis, quæ ei damnationem meretur, accedere debet, & hunc cibum spirituale gustare, & pensare causam, cur Christus mortuus sit, & quietabitur. Nam nedùm cogitatione DEVS vult habere memoriam passionis, sed etiam, vt hoc effectus fiat, māducatione & potatione fieri voluit. Ex 12. Agnus paschalis in memoriam comedebatur liberationis: sic & CHRISTVS voluit nos communi- nefacere, ne obliuisceremur passionis suæ ac redemptionis nostræ cum aliquo signo, vt sicut non possumus obliuisci cibi ac potus, ita non debemus obliuisci nostræ redemptionis per Christum factæ, &c. vtpote Christus in nobis habitet & viuat, Ioan. 6. Qui manducat me, habet vitam æternam, &c. Secūda causa est, quare rursus redeamus in communionem Christi, & totius corporis eius mystici. Nā quanuis per baptismum in corpus mel inserimur, & incorporamur spirituali corpori Christi, cuius ipse caput est, 1. Cor. 12. attamē quoties peccamus per manifesta opera carnis, Gala. 5. excidimus ab illa vnitate corporis Christi mystici, & perdimus apprehensam gratiam. Hanc igitur si iterum volumus recuperare, oportet nos pœnitētia cordis humiliari primò, & sic absolui à peccato, Ioan. 20. Subindè accedere ad sacramētū, quo iterum recipiamus in viuam communionem corporis Christi & Ecclesiæ, & fiamus cum ceteris vnum corpus, sicut Ioan. 6. dicit

6, dicit Christus, Qui manducat me, in me manet, & ego &c. Hęc igitur est potissima p̄ba, quia homo debet pensare, anñ exciderit de communione Christi & Ecclesie, & sic accedere sæpè & cõfortari in gratia. Tertia causa, Ideò Deus instituit corpus suum manducare, quòd omnes qui volunt illud accipere, & sanguinem eius bibere, debeant esse & stare in charitate & vnione cum omnibus hominibus, cum nullo erga proximum, nullo schismate erga Ecclesiam Catholicam, & hanc rem notat Paulus 1. Corinth. 10. quando dicit vnũ corpus & vnum panem multos esse, sicuti de vno pane & calice participamus. Patet ergo quàm periculosum sit, in odio vel schismate communicare: hæc directè pugnant contra institutum Sacramenti, nam hoc Sacramento tu promittis Deo, velle te stare in vnitatem, & esse granum panis vnici, & racemum vini charitatis: at qui contrarium facit, exindè odit proximum &c. Hæ sunt potissimæ rationes communicandi, non remissio peccatorum, vt secta docet. Sacramentum nõn remittit peccatum, sed signum remissionis est: nam ad peccati remissionem non proprie institutum. Est quoq; alia institutionis causa, vt fidem nostram publicè profiteamur, quia credimus Euangelium Christi, & nos pro membris suis & illius congregationis esse protestamur.

QVID EST, ESSE REVM CORPORIS & sanguinis Domini.

TITVLVS LXXXIX.

Apostolus 1. Corint. 11. loquitur durissimum verbum, dicens: Qui manducat indignè, reus fit corporis & sanguinis Domini. Et iterũ: Ille manducat & bibit sibi ipsi iudiciũ, Esse reum in corpore Christi, nihil aliud est, quàm piaculum committere in sacrum Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

Q 9 5